

Kaestner, Lichtenberg 1799.



Ms. 179



Dd 2918

E L O G I V M
GEORGII CHRISTOPHORI LICHTENBERG

IN CONSESSV SOC. REG. SCIENTIARVM

RECITAVIT

ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER

D. XX. APRIL MDCCLXXXIX.

Cum anno saeculi ad finem vergentis quinquagesimo primo, institueretur Societas scientiarum, ornandis et augendis physicis, mathematicis, historicis, qui singula harum doctrinarum genera occuparent, nominati sunt inter Gottingenses duo, et totidem externi. Ita, quae vocatur classis mathematica, habuit Segnerum et Mayerum. Ad me, tunc in Academia patria docentem, literae, quibus sodalis extraneus addisceret, statim post initium societatis scriptae sunt, quo contigit ut inter illos primo loco nominer, cum maior, et antiquior esset celebritas Samuelis Koenig, et Ioannis Friderici von Vffenbach, cuius gratia tunc lex duos singularum classium sodales extraneos constituens migrata est, eius viri bibliotheca et instrumenta iam Gottingam ornant.

Inter praesentes sodales locum inde ab anno saeculi LVI occupo, ante me aderat Lowitzius, post accessere Meisterus et Lichtenbergius.

Ex his mathematicis, qui intererant conuentibus societatis, Gottinga abierunt, Segnerus Halam, Lowizius Petropolin, ad coelites Mayerus, Meisterus, et iam quoque Georgius Christophorus Lichtenbergius

Mea quidem fors, inde a prima iuuentute, Cyparissi fuit, lugere alios, et adesse dolentibus, ita in nostra sodalitate moerens loquutus sum de physicis Roederero, Erxlebenio, de mathematicis Mayero, et Meistero, extremus labor incumbit, dicendi de Lichtenbergio.

In loco Hassiae Darmstadiensis, Oberramstadt dicto, natus est Lichtenbergius, anno MDCCXXXIV. 1. Iulii. Patre, tunc eius loci metropolitano, post, Superintendente Generali Darmstadiensis. Matre, Eckhardi, metropolitani Bischoffsheimensis, prope Moguntiam filia, vltimus octodecim liberorum Eidem, a quo vitam acceperat, debebat cum fratribus, maius quidpiam, prima doctrinae et virtutis semina.

Grauat pater et iis quae ad munus suum pertinebant et aliis negociis, quod otium ipsi daretur, ingenii filiorum formandis tribuit.

X

Naturae

Dd 2918

Naturae notitiam, quantam caperent, puerorum animis instillauit, erectos vt ad sidera tollerent vultus, monuit.

Qui haec mihi scripsit, frater defuncti, Ludouicus Carolus, Archiuo Ducali Gothano praefectus, nostrae Societati arctioris amicitiae vinculo iunctus, addidit, recordari se adhuc, quam placuerit seni, cum in gremio eius sedens, cometam anni XLIV, plurium quos saeculum vidit maximum, animaduertisset.

Post mortem patris Gymnasium Darmstadiense frequentauit, non amplius noster, praeceptore vsus egregio qui id tum regebat Wenkio.

A natiuitate debile ipsi corpus contigerat, vt parum idoneus videretur vitae generi negotioso. etiam erudito, quod praeter animum laboris patientem firmam quoque valetudinem postularet. Sic datum ipsi est, mathesi imprimis vacare, et naturae contemplationi, priuata industria, quam adiuarunt duo fratres aetate maiores.

Munificentissimus in iuuenem fuit Ludouicus VIII Hassiae Landgrauis, diligentiam sustentans quae aliquando terrae natali prodesset, vel vniuersitatem literariam Giesensem ornando, vel Rheni qua perfluit Hassiam litora tuendo, id enim ad mathesin pertinere, intelligebat sapiens Princeps, quod aliis in terris, tardius animaduersum est. Gottingam studiorum caussa accessit anno LXIII. in mathematicis me praeceptore vius et Meistero, mox vtroque, quod facile obtinebat egregius iuuenis, amico. Nullum doctorum neglexisse, a quibus in philosophia, naturae cognitione, literis ad humanitatem, orbisque notitiam pertinentibus proficere poterat, ostenderunt multifariae quibus inclaruit eruditionis specimina.

Nominatim, rerum naturalium thesaurum, qui tunc Bürtneri erat, iam nostrae vniuersitatis literariae est, monstrante possessore et illustrante, cognouisse, retulit mihi studiorum necessitudine coniunctus Lichtenbergio, Erxlebenius. Quae ambo simul de terrae motu anno LXV. obseruarunt, narraui in nouis nostris literariis*) et monui, Lichtenbergium, iam tunc in obseruationibus astronomicis exercitatum succussioni tempus circiter sex secundorum tribuisse, quod minutum dixerunt, qui subtiliores temporis partitiones ignorant.

Post obitum Tobiae Mayeri, qui initio anni LXII accidit, obseruatorii cura demandata est Lowizio et mihi; Lowizius, confecto accurately instrumentorum quae tunc aderant catalogo, mihi reliquit aedes astronomicas.

Abfol-

*) Gött. gel. Anz. 1767, p. 401.

Absoluuntur obserationes coelestes omnes, angulorum, et temporum mensuris; igitur quomodo instituendae sint facile intelligit quilibet matheos gnarus, si detur ipsi instrumenta tractare, habitus autem exercitio comparatur. Ita occasionem noscendi instrumenta et addiscendi vsus illorum, praebui auditoribus meis eius rei cupidis, inter quos primi erant Lichtenbergius, Kügelius, Ljungbergius, qui singuli, quantum inde profecerint, mox ostenderunt Venerem, solem intrantem 19. Iun. LXIX mecum obseruarunt Lichtenbergius et Ljungbergius *) cum occidens sol reliqua nobis subtraheret, cometam, parum fauente atmosphaera, quantum poterat spectauit Lichtenbergius anno LXX **); alium anno LXXI ***); sub exitum anni LXXII et initium sequentis visi viam inter fixas delineatam societati obtulit ****). Erat ipsi, quae non semper profundioribus studiis iungitur, facultas et patientia, figuras describendi, quae dum docent, etiam oculos delectant. Plures quas mihi dedit Lunae picturas, maculis eo ordine signatis, quo a telluris vmbra tegendas calculus docuerat, amici et artificis reliquias seruo.

Lichtenbergium, patria Giessam repetebat, praetulit nostram vniuersitatem literariam, titulo Professoris extraordinarii ornatus anno septuagesimo, Maio mense exeunte ****), vltimus Professorum quos Gotinga debet curae Munchhusii, eiusdem anni mense Nouembri ad coelites vocati.

Liceat et hic grata mente recolere, Principis Hassiaci liberalitatem, qui, collata in Lichtenbergium, non imputauit ipsi, et, vt extra natalem prouinciam, interiret communi patriae Germaniae, iubens permisit.

Praelectiones indicauit scripto germanico, ad probabilitatis calculum pertinente. Quaeritur, cur spem praegrans lucris, puta plurium centenorum millium thalerorum, nemo sanus, emerturus sit precio si cum lucro comparetur fere euanescente, vt 50 thaleris? intricant hoc, dum explicare conantur d'Alembert et Beguelin. Prudentem virum considerare, quanti facturus sit iacturam, eius, quod spei fallaci impendit, post Danielem Bernoullium et Cramerum, monet Lichtenbergius. Hoc primo specimine publico monstrauit, quantum posset in exhibendis oculo bene valenti perspicue, rebus, quae vel natura sua obscuriores sunt, vel nimia et misera eruditorum diligentia, subtilitatem appellari volunt, obscurantur.

*) Gött. gel. Anz. 1769. p. 665.

***) G. A. 1770. p. 705.

****) G. A. 1774. p. 97. p. 249.

*****) G. A. 1770. p. 713.

) 2

In

****) G. A. 1771. p. 537.

In provinciis Germaniae quae sub Rege Electore felices sunt, Gottingae situm Tobias Mayerus obseruationibus astronomicis determinauerat, idem pluribus in locis fieri, iusserat Princeps, scientiarum non protector solum, sed eruditus et idoneus arbiter. Quod quomodo peragendum sit, cum Societatem exponere iuberet Consilium Regis, Electoratus salutem curans, ego, annuentibus Sodalibus, censui Lichtenbergio rem committendam.

Similiter, interprete dom. Demainbray, qui priuato Regis obseruatorio Richmondii praeerat, obtinui, vt regia munificentia quadrans, insignis artificis Sissoni opera elaboratus, illi negotio destinaretur. Ita Lichtenbergius annis LXXII; LXXIII; positus definiuit Hannouerae, Osnaburgi, Stadae. Dixit de his suis laboribus anno LXXVI *) in confessu Societatis, cui anno LXXV adscriptus erat.

Quae de Lunae facie adfecta reliquerat Tobias Mayerus, vt Gottingae seruarentur, dabat petitis meis Consilium Regium: Haec cum aliis Mayeri Manuscriptis in Obseruatorio custodiebantur.

Ex Manuscriptis, vt aliqua innotescerent mathematicis, quoties dabatur occasio curauit. Non tamen potui sola edere quae legebantur; nudas scilicet formulas, quarum analysin aut demonstrationem, aliis certe chartis seruauit, mihi nunquam visis. Haec cum mihi essent ex ingenio restituenda, causas euolui, circuli diuisoris, quo in delineanda stereographice tellure utitur **) praecepta positum quadrantis muralis examinandi ***) , item anguli in plano inclinato capti, ad horizontalem, reducendi ****).

Cur non in publicum prodirent relicta a Mayo, erant qui quaeererent, immodestius interdum quam deceret, non enim cogitabant aliam esse eruditorum conditionem quam mulierum Hebraearum quae ipsae obstetricandi habebant scientiam, et antequam ad illas accederent Sephora et Phua, pariebant *****).

Spondit tandem auxiliatrices manus, insignis noster bibliopola Dieterich, chartas Mayerianas Lichtenbergio tradidi. Ita magno splendore typographico prodiit Operum Mayeri Volumen ***** , quo continentur absolutae omnino dissertationes aliquae Societati scientiarum exhibitae,

*) D. 14. Dec. Noui commentarii S. R. Sc. Gott. Tomus VII. ad a. 1776. p. 210.

**) Dissertationes mathematicae et physicae. Altenb. 1771.

***) Astronomische Abhandlungen, I. Samml. (1772) III. Abhandl. 136. §.

****) Astr. Abb. I. Abh. 208. §.

*****) Exod. I. 19.

*****) Tobiae Mayeri Opera inedita Vol. I. Edidit, et obseruationum appendicem adiecit Georgius Christophorus Lichtenberg. Gott. 1775; 4 maj.

exhibitae, illis illustrandis adiecit aliqua Lichtenbergius, item duorum typorum Lunarium, quos Mayerus relinquerat minorem, eum meridianis et parallelis selenographicis distinxit et macularum catalogum addidit.

Praeter haec edita, supersunt adhuc, quibus ordinandis et coniungendis ocium editori defuit, disiecti membra astronomi.

Angliam bis inuisit, annis LXX et LXXIV Demainbrayo Regis iussu interroganti, quae hic acta essent Venere solem intrante, focus conatum meorum nominaueram. Sic Regi innotuerat Lichtenbergius, Rex illi priuati sui obseruatorii usum permisit, et eum saepius colloquiis dignatus est, eruditione refertis, in quibus, cum aliquando de Newtono ac Leibnitio ageretur, et quae sint cuiusuis partes in reperto infiniti calculo, gratum sibi professus est Rex, quod vterque in terris vixerit, quas ipse iam tueatur.

Scriptit Lichtenbergius ex Anglia, quae iuarent amicos, quae ad me peruenerunt, vt a pluribus legerentur curauit, veluti, de praestantissimo Hornsbii obseruatorio *), de ingenti barometro cui constructor Coxius perpetui mobilis nomen dederat **).

Ita iam tunc effecit, magis adhuc postea, vt nobis prodesset iter suum Britannicum.

Polycarpus Erxlebenius, Chemiam, Regnorum quae vocantur naturae historiam, Physicam experimentalem, tradebat, singulas has cognitionis naturae partes, breuiariis complexus, quae idoneis iudicibus probabantur: Is cum *ἑνδοξος ἀλλ' ὀλιχρονιος* anno LXXVI obiisset, experimentorum instituendorum prouinciam suscepit Lichtenbergius, adhibens etiam librum amici, cuius secundae editioni, paucis mensibus superuixit auctor, Lichtenbergii opera, quater deinde prodiit, additis semper, quae crescens indies scientia postulabat.

Quam propenso ad naturam inuestigandam esset animo, vidi iam, cum me docentem audiret, et machinulis quae tunc in potestate eius erant solerter vteretur.

Itaque, spartam nactus quam ornare et vellet et posset, tum vniuersitati nostrae literariae profuit, iuuentutem docendo. tum celebritatem eius auxit, inter naturae scrutatores illustris, collecto etiam et ordinato apparatu, quem addendum thesauris, quibus communi vsui, diues est Georgia Augusta, iudicarunt eius tutores.

Mathematicis instructus Lichtenbergius, poterat solide et acute dicere de physici: Animaduenterunt tamen erectioris ingenii auditores,

(3

*) Deutsches Museum, Jänner 1776.

**) Gel. Anz. 1775; p. 97.

res, eum remissius quaedam tractasse, eorum in gratiam, qui nunquam attigerant eruditum puluerem. Excusandam credidi, hanc doctoris qui feuerior esse poterat lenitatem. Legislatorum sapientissimus, quae vetare maluisset, permisit iudaeis, propter duritiam cordis ipsorum; ita, physicam tradens, multis, qui spectatum experimenta veniunt, dat aliquid, propter duritiam capitis ipsorum.

Ego certe sani Erxlebenio et Lichtenbergio, matheoseos et adeo verae physicae peritis, benignioribus, in *monstranda* physica, etiam illis, qui eam *doceri* se, non vellent. Ipse, malui vt me doctorem colerent felices animae quibus veri certique scientia placeret.

Indefesso in capiendis experimentis, non solum talibus quibus spectatores delectaret, sed etiam quae ipsi naturae arcana patefacerent, occurrebant nondum visa aliis. Ita naturam ac motum fluidi electrici inuestigandi noua methodo vsus est, ex figuris quas in electrophoro generat, quae ipsae permanentes reddi possunt. Cuius prima specimina, offerenda societati mihi commisit, ipse morbo impeditus, anno LXXVII *) , vberius ea de re disseruit annis LXXVII et LXXVII: **).

Anno LXXX exhibuit Societati obseruationes super dubiis quibusdam circa aptitudinem vulgatae mensurae fortis ***), quae breuius exposuerat in programme quod ante indicaui. Earum mentio fit in historia Societatis ****), commentationibus inferendas, non tradidit.

Scilicet, inter Societatis nostrae commentarios, eius, pauciores leguntur, quam expectari posset. Perpetuo conflictatus cum valetudine nunquam integra, plurimis laboribus grauatus, dissertationibus frequentius exhibendis, non sufficere vires suas existimabat. Qua in re quantum se ipsum falleret, et peccaret nimia modestia, raro in eruditis nostri temporis vitio, saepius eum reprehendi.

Pluribus tamen modis profuit Societati. Nunciabantur ipsi quaecunque fiebant in physicis et artibus a physica pendentibus, de illis frequenter ad Societatem retulit, vt de Boltonii inuento, imprimendi literas atramento scriptas, de Pauli Ergata ****), de machina Anglorum ad

*) G. A. 1777. p. 569.

**) De noua methodo naturam ac motum fluidi electrici inuestigandi, commentatio prior; 21. Febr. 1777. Noui commentarii S. R. Sc. G. Tom. VIII. ad 1777. p. 168. Commentatio posterior 19. Dec. 1778. Commentationes S. R. Sc. Classis Mathematicae T. I. ad 1778. p. 65.

***) G. A. 1780. p. 481.

****) Commentationes S. R. Sc. per annum 1780. p. XIII.

*****) G. A. 1780. p. 673.

ad impraegnantam aquam eo quod tunc aer fixus vocabatur *), iam aliis pluribus nominibus venit, abundat enim eruditio nostri aevi in numeris notis, si non semper inuentis, certe vocabulis.

Etiam, cum desideraretur mathematicorum sententia, de machinis, aut de mensuris geographicis astronomia duce instituendis, mihi et Meistero adiutor adfuit.

Quaestiones classis mathematicae alternatim mecum proposuit. Illam postremo, cuius responsum ultimi saeculi anno expectatur. Quas motus leges seruet ebullientis aquae vapor per canales datos**).

Scriptorum ad varia literarum genera pertinentium syllogen, socio Georgio Forstero instituit anno LXXX ***); cuius sex fasciculi prodierunt hoc anno, et totidem quolibet sequentium, post primum anni LXXXV; nullum noui.

Diu iam mos inualuit, annuos libellos edere, quos in pera secum gestent elegantiores homines, icunculas insertas contemplantur, varia in illis cum voluptate legant, interdum etiam aliquid discant, calendarii nomen quod his libris tribuitur in memoriam mihi reuocat Ouidianum:

Pars minima est ipsa puella sui.

Gottingense Calendarium, vt, quantum fert natura librorum eius generis, et delectet, et profit, effecit Lichtenbergius. De physicis, mechanicis, astronomicis, disseruit, perspicue et suauiter, ita, fere expertes harum rerum, allexit et docuit, eruditioribus, noua exhibuit, vel ex amplo quod ipsi erat literarum commercio, vel, suo ingenii acumine, subtilius examinata ****).

Hogharti ridiculorum et vitiorum picturas, plus quam dimidio saeculo admirantur Britanni Eae, vt e tabulis aeneis expressae sunt, omnes et singulae, difficilium vel ibi reperiuntur vbi prodierunt. Probabile igitur erat bibliopolae consilium; dandi illas nobis, forma paulo minore, sed vbi nihil desideraretur veritatis et iucunditatis, quod reddere possit multis iam speciminibus notus artifex Riepenhausen.

Est vero Satirarum ea conditio, vt diu supersint, iis quas impugnarunt, vel personis vel moribus. Ita Horatii aut Iuuenalis multa non intelligerentur sine Grammaticorum scholiis, ipsius Boilauii multa non sine Brosseto.

Illustrandis Hogharti operibus aptior reperiri non poterat Lichtenbergio. Is peritus morum Angliae et historiarum paucioribus notarum

*) G. A. 1776; p. 473.

**) G. A. 1798. p. 1902.

***) G. A. 1780 p. 249.

****) Göttinger Taschencaender. Taschenbuch zum Nutzen und Vergnügen. 1778 — 1799.

Dd 2918 d
3

notarum, anecdota vocant, imaginum quas cum voluptate spectabat, diligens et acutus examinatus, quod penicillo et graphio praefiterat Hoghartus, ipse calamo aequavit *).

Dixi de Lichtenbergii scriptis quae vel ad Societatem nostram propius pertinent, vel maioris paulo sunt voluminis. Omnia nominare, non est huius vel loci vel temporis; Illorum catalogum sine dubio ab ipso auctore exhibitum, vsque ad annum LXXXVII, habet Perillustri Pütteri Historia Georgiae Augustae **).

Corporis debilitas effecit, ut totum se literis posset dare in quibus eminuit. Quo tempore docentes hic audiret, vix tristissimum morbum superavit. Valuit tamen melius quam ipse exspectabat, in itineribus astronomicis, et britannicis.

Quod mihi visum est indicare contra sedentariam vitam annorum feriorum, proprie enim loquendo non egrediebatur museo, sed vltimum cuiusvis septimanae diem et primum sequentis, agebat in horto sub urbano rheda eo vectus.

Ob animi in perferendis corporis malis constantiam, ob assiduitatem raro interruptam, et frequentiam scriptorum, ipso quidem opinante non nisi a morbi continuo impetu excusandorum, ceterum multis quae vegeto animo atque corpore, ederent alii, superiorum; Sperari poterat, eum diutius inter nos futurum.

Neque, eam rem ut omnino perderemus effecit, morbi, qui annuatim fere statim tempore redibat, primus impetus; sed is iam vota nostra frustratus est, et accedente pulmonum inflammatione d. XXIV Februarii horis matutinis, eripuit Lichtenbergium, nobis sociis, amicis, iuuenibus discendi cupidis, orbae lugenti familiae.

Scriptor tamen superest, mathematicis et physicis, etiam pluribus aliis, qui sola amoeniora legunt, non ea, quibus, ut eleganter francogalli, tempus perimatur ***) sed quae ornent ingenium, fugere vitanda doceant, et virtutem amabilem exhibeant.

*) G. C. Lichtenbergs ausführliche Erklärung der Hogarthischen Kupferstiche, mit verkleinerten aber vollständigen Copien derselben, von E. Riepenhausen. Erste Lieferung. Göttingen 1794. Zweyte 1795. Dritte 1796. Vierte 1798. Fünfte 1799.


**) Versuch einer academischen Geschichte von der Georg-Augustus-Universität zu Göttingen, vom geheimen Justizrath Pütter. Zweyter Theil. Göttingen 1788. §. 126.

***) Tuér le tems.

D. A. 1780 d. 126.
Göttinger Taschenrechner
1778 - 1799







E L O G I V M
GEORGII CHRISTOPHORI LICHTENBERG

IN CONSESSV SOC. REG. SCIENTIARVM

RECITAVIT

ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER

D. XX. APRIL MDCCLXXXIX.

Cum anno saeculi ad finem vergentis quinquagesimo primo, institueretur Societas scientiarum, ornandis et augendis physicis, mathematicis, historicis, qui singula harum doctrinarum genera occuparent, nominati sunt inter Gottingenses duo, et totidem externi. Ita, quae vocatur classis mathematica, habuit Segnerum et Mayerum. Ad me, tunc in Academia patria docentem, literae, quibus sodalis extraneus adsciscerer, statim post initium societatis scriptae sunt, quo contigit vt inter illos primo loco nominer, cum maior, et antiquior esset celebritas Samuelis Koenig, et Ioannis Friderici von Vffenbach, cuius gratia tunc lex duos singularum classium sodales extraneos constituens migrata est, eius viri bibliotheca et instrumenta iam Gottingam ornant.

Inter praesentes sodales locum inde ab anno saeculi LVI occupo, ante me aderat Lowitzius, post accessere Meisterus et Lichtenbergius.

Ex his mathematicis, qui intererant conuentibus societatis, Gottinga abierunt, Segnerus Halam, Lowizius Petropolin, ad coelites Mayerus, Meisterus, et iam quoque Georgius Christophorus Lichtenbergius

Mea quidem fors, inde a prima iuuentute, Cypariffi fuit, lugere alios, et adesse dolentibus, ita in nostra sodalitate moerens loquutus sum de physicis Roederero, Erxlebenio, de mathematicis Mayoer, et Meistero, extremus labor incumbit, dicendi de Lichtenbergio.

In loco Hassiae Darmstadiensis, Oberramstadt dicto, natus est Lichtenbergius, anno MDCCXXXIV. 1. Iulii. Patre, tunc eius loci metropolitano, post, Superintendente Generali Darmstadiensi. Matre, Eckhardi, metropolitani Bischoffsheimensis, prope Moguntiam filia, vltimus octodecim liberorum Eidem, a quo vitam acceperat, debebat cum fratribus, maius quidpiam, prima doctrinae et virtutis semina.

Grauatius pater et iis quae ad munus suum pertinebant et aliis negociis, quod otium ipsi daretur, ingenii filiorum formandis tribuit.

)

Naturae